



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XIX. Ne ecclesiae mundanis supellectilibus exponantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
 CHRISTI
 1215.

auditum ad indebitos sermones effundunt, aures
 intentas non porrigunt ad diuina. Hæc igitur &
 similia sub pœna suspensionis penitus inhi-
 bemus, districte præcipientes in virtute obedientiæ, vt di-
 uinum officium diurnum pariter & nocturnum,
 quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pa-
 riter & deuote.

XVIII.

Sententiam sanguinis nullus clericus dicet aut
 proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat,
 aut vbi exercetur interfit. Si quis autem huius-
 modi occasione statuti ecclesiis, vel personis ec-
 clesiasticis aliquod præsumpserit inferre dispen-
 dium, per censuram ecclesiasticam comescatur:
 nec quisquam clericus literas scribat aut dicat
 pro vindicta sanguinis destinandas: vnde in curiis
 principum hæc sollicitudo non clericis sed laicis
 committatur.

Nullus quoque clericus rottariis, aut balistariis,
 aut huiusmodi viris sanguinum præponatur, nec il-
 lam chirurgiæ artem subdiaconus, diaconus, vel sa-
 cerdos exerceant, quæ ad vltionem vel incisionem
 inducit. Nec quisquam purgationi aquæ feruen-
 tis vel frigidæ, seu ferri candentis, ritum cuiuslibet
 benedictionis aut consecrationis impendat: saluis
 nihilo minus prohibitionibus de monomachis si-
 ue duellis antea promulgatis.

XIX.

Relinqui nolumus incorrectum quod quidam
 clerici sic exponunt ecclesias suppellectilibus pro-
 priis, & etiam alienis, vt potius domus laicæ quam

Concil. Tom. 28.

Z ij

Dei basilicæ videantur, non considerantes, quod Dominus non sinebat, ut vas transferretur per templum.

ANNO
CHRISTI
1215.

Sunt & alii, qui non solum ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa ministerii & vestimenta ministrorum, ac pallas altaris, nec non & ipsa corporalia tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrore. Quia vero zelus nos comedit domus Dei, firmiter prohibemus, ne huiusmodi suppellectilia in ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incurfus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium. Sic tamen, ut necessitate cessante, res in loca pristina reportentur. Præcipimus quoque, ut oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta prædicta, munda & nitida conseruentur. Nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecere etiam in profanis.

X X.

Statuimus, ut in cunctis ecclesiis chrisma & eucharistia sub fideli custodia clauibus adhibitis conseruentur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Si vero is ad quem spectat custodia ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur. Et si per eius incuriam aliquid nefandum inde contigerit, grauiori subiaceat ultioni.

X X I.

Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno pro-